(*Observações*) 6. Depois da batalha de Pharsalia Cesar, tendo-se apoderado do acampamento inimigo, insistiu com os seus soldados (*contendo ab aliquo*) que para attender á presa não deixassem escapar da mão (*dimitto*) a occasião de acabar o emprehendimento (*reliquum negotium gero*). — 7. A justiça, para usar as palavras de Cicero, é a rainha das virtudes. — 8. Vós admiraes assaz pacientemente, para não dizer estultamente, cousas muito mesquinhas. — 9. Quem não estima a integridade de Catão, para não recordar as suas outras virtudes, digna do maximo elogio? — 10. Amemos os nossos bemfeitores, para que não pareçamos ingratos, nem se-

jamos indignos das suas acções boas e santas para comnosco. — 11. As gallinhas aquecem os (seus) pintainhos com as azas para que não sejam offendidos pelo frio.

70. EXERCICIO

(Sobre o n. 321, p. 233)

1. Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. — 2. Hortemur liberos nostros, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque se id, quod expetunt, consequi posse confidant. — 3. Cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus aures, neve adulari nos sinamus. — 4. Legatos miserunt, qui ab rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet sibique dederet (= sed uti dederet). — 5. Dionysius, tyrannus Syracusanorum, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. — 6. Ille me monuit ne hoc facerem. — 7. Provide ne sermo tuus vitium aliquod indicet inesse in moribus. — 8. Cavendum est ne in graves inimicitias convertant se amicitiae. — 9. Te rogo ne defatigere neu diffidas. — 10. Hoc te primum rogo ne dimittas animum neve te obrui, tanquam fluctu, magnitudine negotii sinas. — 11. Hac habita contione et confirmatis militibus ne ob hanc causam permoverentur neu magnopere virtuti hostium tribuerent, legiones ex castris eduxit imperator aciemque idoneo loco constituit. — 12. Hoc vobis providendum est, patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus quam vestra dignitas, neu magis irae quam famae consulatis. 13. Ne genus belli neve hostem ignoretis, cum iis est vobis, milites, pugnandum, quos terra marique priore bello vicistis. Erit igitur in hoc certamine in vobis illisque animus qui victoribus et victis esse solet. — 14. Caesar ad Lingones litteras nuntiosque misit, ne Helvetios frumento, neve alia re juvarent.

71. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 322-326, p. 234)

1. Breve tempus aetatis satis longum est ad bene vivendum. — 2. Contentum suis rebus esse plurimum confert ad bene beateque vivendum. — 3. Misi ad Antonium, qui ei hoc diceret. — 4. Verres Messanam sibi urbem delegerat, quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. — 5. Missi sunt delecti cum Leonida, qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros progredi non paterentur. — 6. Hostes ad Caesarem legatos miserunt, qui pacem ab eo peterent. — 7. Legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque romano gratias agerent, quod cum iis pacem fecissent, ob eamque rem corona aurea eos donarent. - 8. Hac re palam facta, Poeni naves duas, quae eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt. — 9. Catilina dissimulandi causa et quasi sui expurgandi in senatum venit. — 10. Caesar pabulandi causa tres legiones miserat. — 11. Hostes appropinquant urbem oppugnaturi. — 12. Hostis appropinquat vastaturus agros. - 13. Legati romani in castra Aeduorum venerunt questum injurias et ex foedere res repetitum. — 14. Legati ad senatum venerunt auxilium postulatum. 15. Hannibal multos milites misit speculatum castra romana. 16. Ab Eumene legatio de victoria gratulatum venit. — 17. Hannibal patriam defensum revocatus bellum gessit adversus P. Scipionem, filium ejus Scipionis, quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertio apud Trebiam fugarat.

72. EXERCICIO

1. O homem nasceu para duas cousas: para entender e para operar. 2. O cavallo nasceu para *(ad)* correr, o boi para arar, o cão para procurar

(*indago*). — 3. Os antigos Romanos, nos momentos mais difficeis da republica, nomeavam um dictador para livrar a patria dos perigos. — 4. Os Clusinos mandaram embaixadores á Roma para pedirem soccorro ao Senado. — 5. Os inimigos se approximam para destruir (*delco*) a cidade e devastar os campos. — 6. Os embaixadores dos inimigos veem (*advento*) para pedir (*sup.*) a paz. 7. Scipião approximava-se para sitiar (*part. fut. act. ou sup. act. de obsideo*) Carthago. 8. Nós viemos para ouvir (*part. ou sup.*) os preceitos do mestre.

PROPOSIÇÕES CONSECUTIVAS OU CORRELATIVAS

73. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 328, p. 235)

(*lettra a*) 1. In eo statu res nostrae sunt, ut non possint esse miseriores. — 2. Totae res rusticae ejusmodi sunt, ut eas non ratio neque labor, sed res incertissimae, venti tempestatesque moderentur. — 3. Talis est ordo actionum adhibendus, ut in vita omnia sint apta inter se et convenientia. — 4. Dum haec geruntur, piratae omnia maria infestabant ita, ut Romanis, toto orbe victoribus, sola navigatio tuta non esset. — 5. Vespasiano Titus filius successit, qui et ipse Vespasianus est dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut amor et deliciae generis humanis diceretur, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus. Facilitatis et liberalitatis tantae fuit, ut, cum nulli quidquam negaret et ab amicis reprehenderetur, responderit nullum tristem debere ab imperatore discedere; praeterea, cum quodam die in cena recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam praestitisse, dixerit: amici, hodie diem perdidi.

(*Observação á lettra a*) 6. Si quid acciderit, ut mutandum consilium sit, te certiorem faciam statim. — 7. Magna vis est conscientiae et magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent qui peccarint.

(*lettra b*) 8. Fit nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. — 9. Fieri non potest, ut quis Romae sit, cum est Athenis. — 10. Plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. 11. Est (*dá-se o caso*), ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi, et habeant paratum tamen quid de quaque re dicant. — 12. Extremum illud est, ut te orem et obsecrem, animo ut maximo sis. 13. Amicis quoniam satisfeci, reliquum est, ut egomet mihi consulam. — 14. Restat, ut doceam omnia quae sint in hoc mundo, hominum causa facta esse. — 15. Proximum est, ut doceam deorum providentia mundum administrari. — 16. Sequitur, ut de magnitudine belli dicam.

(*Observação*) 17. Bene mihi evenit quod mittor ad mortem. — 18. Accidit perincommode quod fratrem meum nusquam vidisti. — 19. Bene (commode, oppotune) accidit, quod Allobrogum legati de suis rebus Romam venerunt.

(*lettra c*) 20. Caesari Ariovistus respondit, jus esse belli, ut qui vicissent, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent. — 21. Est mos hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere.

22. Primum justitiae munus est, ut ne cui quis noceat. — 23. Vetus est illa lex verae amicitiae, ut idem amici semper velint. — 24. Cultus deorum est optimus, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur. — 25. Est hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit.

(*Observação*) 26. Tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut etiam maxime optemus. — 27. Phi-

losophia tantum abest, ut proinde ac de hominum vita et merita laudetur, ut a plerisque negligatur, a multis etiam vituperetur. — 28. Tantum afuit, ut inflammares nostros animos, somnum vix tenebamus.

74. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 331-332, p. 238)

(*n. 331*) 1. Eo facto sic doluit, nihil ut tulerit gravius (*indep. non tulit).* — 2. Hujus praecepti tanta vis est, ut ea delphico deo tribueretur (*indep. tribuebatur*). — 3. Ardebat Hortensius cupiditate dicendi sic, ut in nullo unquam flagrantius studium viderim (*indep. vidi).* — 4. Socrates, cum paene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus est ita, ut non ad mortem trudi, verum in caelum videretur ascendere. — 5. Themistoclis vitia magna sunt emandata virtutibus adeo ut anteferatur huic nemo. — 6. Scimus Epaminondam adeo fuisse veritatis digentem, ut ne joco quidem mentiretur (*indep. mentiebatur*) — 7. Res Romanorum eo crevit, ut jam magnitudine laboret sua. — 8. In eam rationem vitae nos res ipsa deduxit, ut sempiternus sermo hominum de nobis futurus sit. — 9. *Comparem-se entre si estas duas proposições:* Ita nati sumus, ut inter omnes esset societas quaedam *(fim do nosso ser*) *e:* Ita nati sumus, ut inter omnes sit societas quaedam (*consequencia do nosso ser*).

(*n. 332*) 10. Accidit ut subito ille interiret (*não interierit*). — 11. Factum est, ut Parii a deditione deterrerentur. — 12. Thrasybulo contigit, ut patriam oppressam in libertatem vindicaret. — 13. Quo factum est, ut filiae Aristidis publice alerentur et de communi aerario, dotibus datis, collocarentur.

75. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 328, p. 235; n. 331, 332, p. 238)

1. Só ao sabio acontece de nada fazer contra a vontade. — 2. Primeiro dever da justiça é de não fazer mal a ninguem. 3. Fica para demonstrar que tudo o que está no mundo foi creado para o homem. — 4. Tu não és tal que não saibas o que tu sejas. — 5. Não sou tão estulto de dizer estas cousas. — 6. Não é verisimil que tu tenhas escripto isto. — 7. Era costume entre os antigos Espartanos de ter sempre dois reis mais de nome que de facto. — 8. Os Troianos estavam tão longe de prestar fé aos vaticinios de Cassandra que antes a (= *virgo*) julgavam louca *(furo)*. — 9. Pretender cousas deshonestas de um amigo está tão longe da verdadeira amizade, ao contrario nada póde haver mais contrario á amizade. — 10. O imperador Tito foi de tanta liberalidade, que não negou nada a ninguem. — 11. Resta que vos fale da utilidade das lettras. — 12. Tão grande é a força da probidade que nós a amamos tambem num inimigo. 13. Ninguem é tão máo que queira parecer (tal). — 14. A Italia está plantada de arvores (de modo) que toda parece um jardim. — 15. Vivei, ó amigos, de tal modo que não vos arrependaes da vossa vida. 16. Narra-se que tão grandes trevas tenham obscurecido os paizes limitrophes que durante dois dias um homem não via outro (*homo, inis*). — 17. Ninguem aprendeu tanto que ainda não possa aprender (*ainda aprender = addiscere*) muitas cousas. — 18. Dá-se o caso que aquelles males que parecem (*subjunctivo*) insupportaveis (*intolerabilis, intolerandus, vix tolerandus e não ferendus*) tornam-se mais leves com a paciencia. — 19. Como é (*qui fit*) que ninguem não está nunca contente com a propria sorte? — 20. Tanto

faltou que os perigos das guerras externas fizessem cessar em Roma as contendas civis, que antes o poder dos tribunos tornava-se cada dia mais violento. 21. Não é este o lugar para falar dos costumes dos nossos antepassados. — 22. Estou prestes a partir para Roma com toda a familia.

76. EXERCICIO

1. Est is vir iste, ut civitatis nomen sua auctoritate sustineat. — 2. Tales non esse putamus, ut jure laudemur. 3. Ea condicione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. — 4. In virtute multi sunt adscensus, ut is gloria maxime praecellat, qui virtute plurimum praestet. 5. Reliquum est, ut quid agatur, explores. 6. Hic locus est, ut de moribus majorum loquamur. 7. Justitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, deinde ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. — 8. Id tantum abest ab officio, ut nihil officio magis possit esse contrarium. — 9. Tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. — 10. Reliquum est ut egomet mihi consulam. — 11. T. Pomponius Atticus sic graece loquebatur, ut Athenis natus videretur. — 12. Tantum abest ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, paenitendum putem. 13. Accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti. — 14. Persaepe evenit ut utilitas cum honestate certet. — 15. Est hoc commune vitium in liberis civitatibus ut invidia gloriae comes sit. — 16. Tantum abest ut haec bestiarum causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. 17. Virtus tantarum virium est, ut se ipsa tueatur. 18. Ille vir est ita temperatis moderatisque moribus ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. — 19. Non ita a natura generati sumus, ut ad ludum et jocum facti

esse videamur. — 20. Generi animantium omni est a natura tributum ut se, vitam corpusque tueatur. — 21. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. — 22. Temperantia sedat appetitiones et efficit, ut hae rectae rationi pareant. — 23. Impetrabis a Caesare, ut tibi abesse liceat et esse otioso. — 24. Natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur. — 25. Magnopere te hortor, ut orationes meas studiose legas.

77. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 329-330, p. 237)

1. Isocrates majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur. 2. Haec major esse ratio videtur, quam ut hominum possit cogitatione comprehendi. — 3. Nulla domus tam firma est quae discordiis (= ut discordiis) debilitari non possit. — 4. Innocentia est affectio talis animi, quae (= ut) noceat nemini. — 5. Quis potest esse tam aversus a vero, qui neget haec omnia, quae videmus, deorum immortalium potestate administrari? — 6. Nulla gens tam fera est, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. 7. Cleanthes negat ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur. — 8. Nihil est, quod sensum habet, quin id intereat. — 9. Genus belli est ejus modi, quod maxime vestros animos excitare debeat. 10. In omnibus saeculis pauciores reperti sunt, qui suas cupiditates vincerent, quam qui vincerent hostium copias. — 11. His litteris recitatis, fuere qui exercitum in Africam mittendum censerent. — 12. Nihil est tam munitum, quin (= quod non) expugnari possit. 13. Quis est, quin (qui non) cernat quanta vis sit in sensibus?

78. EXERCICIO

1. Chabrias (*Chabrias, ae, m.*) vivia por demais esplendidamente (comp.) para (*quam ut*) poder escapar á inveja do vulgo. — 2. Não ha perspicacia de ingenho (*mentis acies ou ingenii vis*) que possa penetrar o céo. — 3. Não ha cousa tão util que com o abuso não se possa tornar nociva. — 4. Sem duvida (*profecto*) houve uma força que cuidou do genero humano. — 5. Não ha ninguem de tanta coragem, que não (*quin*) possa ser perturbado pela novidade de algum incidente. — 6. Parece-me que as orações de Cicero são por demais esplendidas para serem comparadas com as de Socrates.

PROPOSIÇÕES CONCESSIVAS

79. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 333-336, p. 239)

1. Viri boni recte agunt, etsi nullum consecuturum emolumentum vident. — 2. Milites nostri, quamquam periculoso genere proelii locoque iniquo premebantur, tamen omnia paratissimo sustinebant animo. — 3. Quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti. — 4. Etiamsi secundissimis rebus utamur, tamen beati non erimus si virtute caremus. 5. In omni certamine qui opulentior est, etiamsi accipit injuriam, quia plus potest, facere videtur. 6. Tametsi nostri ab duce et a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant. — 7. Licet virtutem semper laudemus, tamen non semper eam sequimur. 8. Vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur. — 9. Est mihi tanti, Quirites, hujus

invidiae tempestatem subire, dummodo a vobis belli periculum depellatur. 10. Veniendum censeo, dummodo ne quid haec ambitiosa festinatio imminuat ejus gloriae, quam consecuti sumus. — 11. Datis, etsi non aequum locum videbat suis, tamen fretus numero copiarum confligere cupiebat. — 12. Etiamsi mors oppetenda esset, domi atque in patria mallem, quam in externis atque alienis locis. — 13. Quod turpe est, id quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest. — 14. Licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. — 15. Quamvis licet insectemur stoicos, metuo ne soli philosophi sint. — 16. Etsi non iniquum, certe triste hoc senatus consultum est. 17. Hic res bello gesserat, quamvis rei publicae calamitosas, attamen magnas. — 18. Caligula tragicum illud jactabat: oderint dum metuant.

80. EXERCICIO

1. O pae prometteu ao filho um bello presente comtanto que (*dum ou dummodo*) não fizesse isto. — 2. Aquelle jovem captará o amor de todos comtanto que (*cf. prop. ant.*) não seja tão leviano. — 3. O sabio tolera pacientemente a dôr, embora seja cruel. — 4. Muitos são infelizes (*miser*) se bem que tenham muitas riquezas. — 5. Se bem que a alma do homem seja immortal, comtudo o corpo perecerá. — 6. Ainda que a vontade seja bôa, comtudo muitas vezes faltam-me as forças. 7. Os bons não se vingam dos seus inimigos ainda que o possam. — 8. Os Romanos, ainda que estivessem cançados pela viagem e pela batalha, marchavam formados (*instructi*) contra Metello. — 9. Se bem que tu não foste instigador (*impulsor*) da minha partida, ao menos (*certe*) a approvaste. — 10. Se bem que faltem as forças, deve-se comtudo louvar a bôa vontade. — 11. Elle, ainda que incontestavelmente seja o melhor poeta dos seus contemporaneos, está (= *é*), comtudo, longe

da perfeição (*a summo*). — 12. Se bem que eu deseje possuir todas as virtudes, comtudo, outra cousa mais não desejo que ser e parecer justo. — 13. Ainda que (*cum*) as forças estivessem debilitadas (*mais que perfeito do subjunctivo passivo de frango*), ficava (*permaneo*), comtudo, o odio.

PROPOSIÇÕES RELATIVAS

PROPOSIÇÕES RELATIVAS NO INDICATIVO

81. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 338, a, b, c, d, p. 241)

1. Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtae, nostra Galli appellantur. — 2. Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes et eam partem Oceani, quae est ad Hispaniam, pertinet. — 3. Is collis, ubi castra posita erant, paululum ex planitie editus, paulatim ad planitiem redibat. 4. Patria est, ubicumque bene est. — 5. Quoque modo illud se habet, haec querela vestra nihil valet. — 6. Multi, qui propter victoriae cupiditatem vulnera exceperunt fortiter et tulerunt, iidem, omissa contentione, dolorem morbi ferre non possunt. — 7. Asia tam opima et fertilis est, ut multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat. — 8. Dicendi virtus, nisi ei, qui dicet, ea, de quibus dicet, percepta sunt, exstare non potest. 9. Democritus Sicyonius non solum hospes meus est, sed etiam familiaris. Eum tu non modo suorum civium, verum paene Achaiae principem cognosces. Huic ergo tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio et munio. Cognitum per te ipsum, quae tua natura est, dignum tua amicitia atque hospitio judicabis. 10. Eloquentia una in liberis civitatibus semper floruit semperque dominata

est. 11. Alcibiades primus Graecae civitatis in Thraciam introit. 12. Una est amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiunt. — 13. Qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus, homines certe fuerunt. 14. Asia multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellit. — 15. Hoc ad id quod est propositum (= *para o meu plano*) non est necessarium. — 16. Consecutus id quod animo proposuerat (= *o seu objectivo*) Caesar receptui cani jussit. — 17. Is, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est, is est sapiens. 18. Quidquid honestum est, idem est utile. — 19. Virtutem, qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur. — 20. Homines benevolos, qualescumque sunt, turpe est afficere contumelia. — 21. Totum hoc, quantumcumque est, totum est, inquam tuum. — 22. Quidquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri debet. — 23. Quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum sit necesse est. — 24. Eleus Hippias, cum Olympiam venisset maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem et poëtarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur, sed anulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse. — 25. Hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in aliis reprehendatis *(construcção:* hoc non concedo ut reprehendatis in aliis easdem res quibus gloriemini in vobis). — 26. Eo simus animo, ut nihil in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus vel a natura constitutum. — 27. Neque verum esse, qui suos fines tueri non potuerint, alienos occupare.

82. EXERCICIO

1. E' (proprio) do animo leviano (*levis*) repudiar a verdadeira gloria que é fructo da verdadeira virtude. — 2. A Asia que limitava (*termino*) o nosso imperio, agora é rodeada (*cingo*) de tres novas provincias. — 3. Parecem felizes aquelles que são honestos. — 4. E' necessaria a justiça aos vendedores (= *aos que vendem*), aos compradores (= *aos que compram*). 5. As noticias (*ea quae nuntiantur*) da guerra são pessimas. — 6. Não ha paiz que possa porfiar com a Italia pela variedade dos productos do solo. 7. Sagaz como tu és, nada certamente te escapará, se leres *(futuro perfeito)* com diligencia a minha carta. — 8. Muitos e grandes foram em todo o tempo os admiradores (= *os que admiram*) de Cicero. — 9. Aquelles que governam *(praesum)* a republica devem dirigir *(referre ad)* para a utilidade do povo qualquer cousa que façam. 10. Por qualquer parte a que agrada *(placeo)* ir, deve-se abrir o caminho com o ferro. — 11. Costumam ser agradaveis aos jovens as ficções dos poetas (*ea quae finxerunt poëtae*). — 12. Nós recebemos dos amigos os meios com que (*id, quo*) possamos soccorrer estes infelizes. — 13. Para onde quer eu me volte, vejo provas da minha velhice. — 14. Seguirei, como sempre fiz, a razão para onde quer que ella me leve. — 15. Qualquer cousa que queiraes fazer, lembrai-vos de que é necessario uma diligente preparação. — 16. Qualquer cousa que tu faças, faze-a cautamente (*caute*) e com diligencia (*adverbio*). — 17. Seja qual fôr o modo em que esteja a cousa, tu não me pareces estar isento (*vaco aliqua re*) de culpa. 18. Themistocles mandou *(praecipio, com o subjunctivo sem ut)* que não poupassem nenhum (*ullus*) lugar quer (*sive*) fosse sagrado, quer fosse profano (*Cf. Synt. lat. n. 338, d, observação, p. 241; especialmente n. 225, b, observação, p. 145*). — 19. Cicero dizia indignos do nome de philosophos aquelles que punham o summo bem nos prazeres e confundiam o util com o honesto.

PROPOSIÇÕES RELATIVAS NO SUBJUNCTIVO

83. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 339, a, b, c, d, e, pag. 243)

a) *Nas proposições finaes.* — 1. Germani druides non habent, qui rebus divinis praesint. — 2. Verres Messanam sibi urbem delegerat, quam haberet adjutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. — 3. Multi eripiunt aliis, quod aliis largiantur. — 4. Verba reperta sunt, non quae impedirent, sed quae indicarent voluntatem. 5. Apud Germanos cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur.—6. Archias poëta suppeditat nobis, ubi animus ex forensi strepitu reficiatur. — 7. Missi sunt delecti cum Leonida, qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros progredi non paterentur.

b) *Nas proposições consecutivas.* — 8. Nemo est tam aversus a musis, qui non mandari versibus aeternum suorum laborum praeconium facile patiatur. —9. Quis potest esse tam aversus a vero, qui neget haec omnia, quae videmus, deorum immortalium potestate administrari?—10. Nulla gens tam fera est, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. — 11. Zeno nullo modo is erat, qui nervos virtutis inciderit. — 12. Campani majora deliquerant, quam quibus ignosci posset. — 13. Homines rationem habent a natura datam mentemque acrem et, ut ita dicam, sagacem, quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disjuncta conjungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum. — 14. Sapientia est una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat. 15. Nec quod mandem habeo, nec quod narrem.

c) *Com dignus, indignus, etc.* — 16. Hic mihi dignus videbatur, cujus causam agerem. — 17. Res est idonea, de qua quaeratur. 18. Nemone horum tibi idoneus visus est, ut cum eo dedicationem communicares? — 19. Non essem ad nullam causam idoneus, si hoc non viderem. — 20. Lex est ratio ad jubendum et deterrendum idonea. — 21. Ut in Catone majore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, qui nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam ejus qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute prae ceteris floruisset; sic, cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. — 22. Augustus idoneus esse videbatur, qui rem publicam diu vexatam administraret.

d, e) *Nas expressões: est qui, sunt qui, etc.* — 23. Nihil est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat ad diligendum. — 24. Quid est, quod me impediat ea, quae mihi probabilia videantur, sequi, quae contra, improbare? — 25. Tria sunt, ut quidem ego sentio, quae sint efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. — 26. Quis est, qui non oderit protervam adulescentiam? — 27. Inventi sunt multi, qui non modo pecuniam, sed etiam vitam profundere pro patria parati essent. — 28. Sunt nonnullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne pervertunt. — 29. Quotusquisque est, qui optimi cujusque hominis auctoritatem magni putet? — 30. Quotus est quisque, qui somniis pareat? — 31. Est quatenus amicitiae dari venia possit. — 32. Duae sunt artes, quae possunt locare hominem in amplissimo gradu dignitatis. — 33. Philosophi inventi sunt, qui summum malum dolorem dicerent. — 34. Sunt quaedam bestiae in quibus inest aliquid simile virtutis. — 35. Qui se ultro morti offerant, facilius reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant.

84. EXERCICIO

a) *Nas proposições finaes.* — 1. Cesar dava premios aos soldados para defenderem mais valorosamente o que tinham conquistado. — 2. Os Clusinos mandaram embaixadores a Roma para pedirem auxilio ao senado. — 3. Os Romanos costumavam mandar os seus filhos a Athenas afim de que frequentassem (*audire*) os mais insignes philosophos ou oradores. 4. Assim que (*ubi*) os Helvecios souberam (*certiores facti sunt*) da chegada de Cesar, enviaram-lhe os mais nobres embaixadores da nação (*civitas*) para lhe dizerem que elles tinham determinado (*esse in animo*) passar pela provincia sem causar nenhum prejuizo (*sine ullo maleficio*). — 5. As rãs pediram a Jupiter um rei que refreasse (*compesco*) com a força os (seus) costumes depravados (*dissolutus*).

b) *Nas proposições consecutivas.* — 6. Não ha perspicacia de ingenho (*mentis acies ou ingenii vis*) que possa penetrar no céo. — 7. Quem de nós tem um animo tão duro, rude, que não se tenha commovido com a morte de seus paes? — 8. Eu sou tal que nada fiz para o meu interesse, antes, para o dos meus concidadãos. — 9. Não ha cousa tão util que, com o abuso, não se possa tornar nociva. — 10. Podes dizer sem hesitar que oradores, aos quaes não falta absolutamente nada, são Demosthenes e Cicero. — 11. Sem duvida (*profecto*) houve uma certa força que cuidou do genero humano.

c) *Com dignus, indignus, etc.* — 12. Quem obedece modestamente, parece-me digno de mandar um dia. — 13. Ninguem pareceu-me mais apto para discorrer sobre a amizade que Lelio. — 14. Pareceu-me que Antonio não fosse bastante apto para eu lhe confiar uma causa tão importante. — 15. Julguei Cesar digno de lhe confiar os meus filhos. 16. Todos o julgaram digno de conhecel-o e de hospedal-o. — 17. Aquelles que não podem mandar a si (mesmos) são indignos de mandar aos outros. — 18.

Nada é mais digno de ser amado que a virtude. — 19. Quem não ama os seus paes é indigno de ser amado por alguem (*ullus*). — 20. Quem calumnia o amigo ausente, é indigno de ser admittido na companhia dos homens bons.

d, e) Nas expressões est qui, sunt qui, etc. — 21. Não ha orador que não queira ser egual a Demosthenes ou a Cicero. — 22. Ha homens que pensaram que Cesar não fosse desconhecedor dos designios de Catilina. — 23. Não falta quem creia que seja uma cousa só, o util e o honesto. — 24. Quão poucos são os que, certos da impunidade e do segredo, podem-se abster da injustiça! — 25. Quem é que ignora que Cicero foi o maior orador romano? — 26. Não ha cousa tão absurda que não tivesse sido dita por algum philosopho. — 27. Quão poucos são os que julgam que se deve preferir a sabedoria a todas as riquezas! — 28. Não ha nada que torne tão miseraveis os homens, quanto a impiedade e o crime. — 29. Ha quem, por temor da odiosidade, não ousa dizer o que pensa. — 30. Nunca faltará quem prefira ser eloquente a honesto. — 31. Ha alguns que não vêem os perigos imminentes.

85. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 339, f, g, h, j, k, l, pag. 243)

f) Nas proposições causaes. — 1. Numquam laudari satis digne philosophia poterit, cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere. — 2. Magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium nec docuerit, quatenus esset quidque curandum. — 3. O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam facile se per se ipsa defendat! — 4. Tribunorum plebis potestas mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit. — 5. A Catilina in Galliam properante Antonius non procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditus in fuga seque-

retur. — 6. Animus fortuna non eget, quippe quae probitatem, industriam aliasque artes bonas neque dare neque eripere cuiquam potest. 7. O fortunata mors, quae natura debita pro patria est potissimum reddita!

g, h) Nas proposições adversativas e concessivas. — 8. Egomet, qui sero ac leviter Graecas litteras attigissem, tamen, cum Athenas venissem, complures tum ibi dies sum commoratus. — 9. Quis est, qui C. Fabricii, M.' Curii non cum caritate aliqua benevola memoriam usurpet, quos numquam viderit? 10. Pompeii milites miserrimo ac patientissimo exercitu Caesaris luxuriem objiciebant, cui semper omnia ad necessarium usum defuissent. — 11. Ego, qui me ostreis et muraenis facile abstinebam, a beta et a malva deceptus sum.

j) Nas proposições condicionaes. — 12. Fateris non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id quod exoptas. — 13. Haec qui videat nonne cogatur confiteri deos esse? — 14. Qui videret, urbem captam diceret. — 15. Xerxes praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem. — 16. Non appellatur sicarius, qui cum telo fuerit? qui hominem occiderit? qui incendium fecerit? qui templa deorum occuparit? — 17. Paetus omnes libros, quos frater suus reliquisset, mihi donavit.

k) Nas proposições restrictivas. — 18. Adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine Justus sit appellatus. — 19. Epicurus se unus, quod sciam, sapientem profiteri est ausus. — 20. Refertae sunt Catonis orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim et legerim, et verbis et rebus illustribus. 21. Pompeio quidem litterae tuae, quod facile intellexerim, perjucundae fuerunt. — 22. Mortuus erat Hephaestio, quem unus Alexander, quod facile intellegi posset, plurimi fecerat.

l) Quando se relata o pensamento do sujeito da proposição principal. — 23. Socrates exsecrari solebat, qui primus utilitatem a jure sejunxisset. —

24. Laudant eos, qui aequo animo moriantur. — 25. Hanc perfectam philosophiam semper judicavi, quae de maximis questionibus (*subtendido: ut dixi*) copiose posset ornateque dicere.* — 26. Lysander undique, qui Atheniensium rebus studuissent, ejecit. — 27. Zeno appellat beatam vitam eam solam, quae virtute degatur. — 28. Sapiens posteritatem ipsam cujus sensum habiturus non sit, ad se putat pertinere.

86. EXERCICIO

f) Nas proposições causaes. — 1. Caninio foi duma maravilhosa vigilancia, não tendo (= *pois elle não viu*) visto o somno durante todo o seu consulado. — 2. O esplendor do sol é mais vivo que o de qualquer outro fogo, porque (= *aquelle que*) illumina o immenso universo (*mundus*) em todas as direcções (*tam longe lateque*). — 3. Quem ha (*esse*) mais imprudente que Tarquinio, que costumava mover guerra aos que não tinham podido supportar a sua soberba?

g, h) Nas proposições adversativas e concessivas. — 4. Quem póde recordar sem admiração Mucio Scevola e Atilio Regulo, se bem que nunca os tenha visto? — 5. Nós mesmos, que a principio tinhamos sido (= *se bem que fossemos*) severos para com Lycurgo, vamo-nos cada dia mitigando. — 6. Accusavam os Romanos de crueldade, ao passo que tinham sido bondosos para com todos. — 7. Accusavam-n'o de injustiça, ao passo que soffria pela justiça.

j) Nas proposições condicionaes. 8. Quem tivesse considerado diligentemente as cousas por mim mais vezes explicadas, certamente não teria cahido nos mesmos erros. — 9. O commandante, vista a necessidade de expugnar aquelle lugar, propoz (*propono*) um premio para quem matasse um inimigo.— 10. Xerxes propoz um premio a quem encontrasse

* Usa-se tambem o subjunctivo nas proposições relativas que exprimem o pensamento do escriptor, mas como opinião que teve em outros tempos

um novo prazer. — 11. Se alguem vê estas cousas maravilhosas, não deve, talvez, confessar que existem (*esse*) os deuses?

k) *Nas proposições restrictivas.*—12. Dos poetas satyricos romanos, d'aquelles ao menos cujos escriptos sobreviveram, parece-me sem duvida que o primeiro é Horacio Flacco. — 13. Xenophonte, um dos que sustentaram a existencia dos deuses (= *ser os deuses*), arruinou a divinação. — 14. L. Cornelio Cinna mandou cortar a cabeça a Marco Antonio, o mais eloquente de todos os oradores, ao menos dos que eu ouvi. — 15. Julgo Horacio o maior dos poetas lyricos antigos, daquelles ao menos cujos escriptos sobreviveram.

l) *Quando se relata o pensamento do sujeito da proposição principal e não o do escriptor.* — 16. Zenão chamava felizes sómente aquelles homens que passavam a vida cultivando a virtude. — 17. Ennio não julgava merecedora de pranto a morte á qual segue a immortalidade. — 18. A philosophia estoica ensinava que é bom só o que é honesto, e que são ricos sómente os que são dotados de virtude.

87. EXERCICIO

1. Hostes ad Caesarem legatos miserunt, qui pacem ab eo peterent.—2. Nihil est quod adventum nostrum extimescas. — 3. Superiori epistolae quod respondeam nihil est. — 4. Quis est cui non educatores, cui non magistri sui atque doctores cum grata recordatione in mente versentur?—5. Est quatenus amicitiae venia dari possit. — 6. Omnium oratorum, quos quidem ego cognoverim, in dicendo acutissimum judico Q. Sertorium. — 7. Dignum me putas quem illudas? -8. Dignus non sum qui bibam? — 9. Homines isti digni sunt, quibuscum disseratur. —10. Vir probus dignus est, cui fidem habeamus.— 11. Ego vos omnes dignos judico, a quibus donum

accipiam. -- 12. M. Furius Camillus dignus habitus est, quem secundum a Romulo conditorem urbis romanae ferrent. — 13. Livianae fabulae non satis dignae sunt, quae iterum legantur. — 14. Nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit. — 15. Quis tam fuit durus et ferreus, quis tam inhumanus, qui non illorum miseria commoveretur? — 16. Nullum est animal, praeter hominem, quod rationis particeps sit. — 17. Quid dulcius est, quam habere, quocum omnia audeas sic loqui, ut tecum? — 18. Sextus Roscius Amerinus convivia cum patre non inibat; quippe qui ne in urbem quidem, nisi perraro, veniret. — 19. Si diligenter, quid Mithridates potuerit, et quid effecerit et qui vir fuerit, consideraris: omnibus regibus, quibuscum populus romanus bellum gessit, hunc regem nimirum antepones. — 20. Virtus digna res est, in qua nervos nostros intendamus. — 21. Dum in his locis Caesar moratur, ex magna parte Morinorum ad eum legati venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent, quod homines barbari et nostrae consuetudinis imperiti bellum populo romano fecissent, seque ea, quae imperasset, facturos pollicerentur. — 22. Homo pudens nihil petit ab eo, de quo se bene meritum putat. — 23. Grave est homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet. — 24. Est aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec reguntur. — 25. Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? — 26. In beneficio videndum est quando et cui et quemadmodum et quare demus. — 27. Non sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adjuncta esse dicamus. — 28. Nulla Ciceronis videbatur aptior persona, quae de senectute loqueretur, quam Catonis. — 29. Quis est qui utilia fugiat, aut quis potius qui ea non studiosissime persequatur? — 30. Quotusquisque est, qui fama effugere possit in tam maledica civitate?

88. EXERCICIO

1. Como póde louvar a temperança o homem (*is=talis, cf. n. 339, b; o substantivo* homem *não se traduz*) que põe o summo bem no prazer? — 2. A natureza deu aos homens a razão para serem por ella guiados. — 3. Ha (homens) que julgam que a alma é mortal. — 4. Aquelle homem é tão astuto que não podemos confiar nelle. — 5. Ha homens que desejam mais ardentemente o dinheiro que a sabedoria. — 6. Não ha razão para invejarmos os ricos. — 7. Acharam-se muitos que estavam promptos a dar *(profundo)* pela patria não só as suas riquezas, mas tambem a vida. — 8. Eu aprecio muitissimo os jovens que amam a virtude e odeiam o vicio. — 9. Sou de tal (*talis*) natureza que aprecio muitissimo os jovens que amam a virtude e odeiam o vicio. — 10. Não havia ninguem que não odiasse Catilina. — 11. Sempre houve homens que, corrompidos pelo ouro, não hesitaram em commetter os maiores crimes.

PROPOSIÇÕES CONDICIONAES

89. EXERCICIO

(Synt. lat. n. 340-343, p. 246)

Observação ao n. 341. — No primeiro typo hypothetico *(modo da realidade)* o verdadeiro modo da proposição principal é o indicativo, mas encontra-se tambem o imperativo ou o subjunctivo exhortativo ou optativo, quando se quer exprimir com o verbo da proposição principal uma exhortação, um pedido, um augurio, uma interrogação.

Primeiro typo (341) — 1. Si amitti vita beata potest beata esse non potest. — 2. Parva sunt foris arma, nisi est consilium domi. — 3. Si ista, cujuscumque modi sunt, quae amplexamini, retinere, si

voluptatibus vestris otium praebere vultis, expergiscimini aliquando et capessite rem publicam. 4. Quid timeam, si aut non miser post mortem, aut etiam beatus futurus sum? — 5. Ista facile discuntur, si et tantum scias quantum opus sit, et habeas qui docere fideliter possit. — 6. Turpis est excusatio si quis contra rem publicam se amici causa fecisse fateatur. — 7. Vetus illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se ajebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. Quota enim quaeque res evenit praedicta ab istis? aut si evenit quidpiam, quid adferri potest cur non casu id evenerit? — 8. Mens quoque et animus, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguuntur senectute. — 9. Ne sim salvus, si aliter scribo ac sentio. — 10. Si aerarii copiis et ad belli adjumenta et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus. — 11. Ne vivam, si scio. — 12. Peream, nisi sollicitus sum. — 13. Si quis ad se utilitatem rapiat, dissolvetur omnis humana consortio. — 14. Si adfinitatis inter vos, si connubii piget, in nos vertite iras. — 15. Si qui voluptatibus ducuntur, ne attingant rem publicam.

Segundo typo (342) — 16. Dies deficiat, si velim enumerare, quibus bonis male evenerit, quibus improbis optime. — 17. Si me omnia recte fecisse dicam nimium mihi sumam. — 18. Qui summum bonum suis commodis, non honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit, nec justitiam, nec liberalitatem. 19. Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam, et velle aliquem imprudentem supra eam assidere, cujus mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi monueris, ne assideat. — 20. Has res nisi magnas esse fatear, amens sim. — 21. Si Scipionis desiderio me moveri negem, certe mentiar. — 22. Si constitueris cuipiam te advocatum in rem praesentem esse venturum atque interim graviter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium non facere quod dixeris. — 23. Si velim nominare homines qui pluris emerint

nonne possum? — 24. Summum verum si ignoretur, vivendi rationem ignorare necesse est.

Terceiro typo (343) — 25. Servi mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem. — 26. Quae vita fuisset Priamo, si ab adulescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? 27. Consilium, ratio, sententia nisi essent in senibus, non summum consilium majores nostri appellassent senatum. — 28. Alexander, cum in Sigeo ad Achillis tumulum adstitisset: O fortunate, inquit, adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! Et vere, nam nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruisset. — 29. Qui esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis, aeque ac tu ipse, gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu ferret. 30. Consul esse qui potui, nisi eum vitae curaum tenuissem a pueritia? — 31. Si Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus. — 32. Si Pompeius occisus esset, fuistisne ad arma ituri? — 33. Pons Sublicius iter paene hostibus dedit, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles. — 34. Si verum respondere velles, haec erant dicenda. — 35. Contumeliis onerasti eum, quem patris loco, si ulla in te pietas esset colere debebas (*terias devido*). 36. Haec si patria tecum loquatur, nonne impetrare debeat *(Cf. observação 4 do n. 343)*. 37. Nisi illa conjuratio in Ciceronem consulem incidisset, actum erat de imperio. — 38. Magnitudo animi, remota a communitate conjunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas (*Cicero*) — *a grandeza do animo* (*se estivesse*) *arredada da sociedade humana, seria uma crueldade e uma barbarie.* — 39. Neque navigatio, neque agricultura sine opera hominum ulla esse potuisset (*Cicero*) — *sem o concurso do homem não teria podido existir a navegação, nem a agricultura* (*sine opera hominum = nisi opera hominum accessisset = se não tivesse havido o concurso do homem*).

90. EXERCICIO

Primeiro typo (341) — 1. Se Deus existe (*est*), o mundo é governado por elle. — 2. Se descuidamos da guerra, nunca gozamos a paz. — 3. Se credes nestas cousas, erraes. — 4. Se assim não estão as cousas, a nossa fadiga é inteiramente inutil. — 5. As faculdades da alma (*animi partes*), se não se exercitam, enfraquecem. — 6. Se os estudos litterarios alimentam a mocidade e alegram a velhice, se servem (= *são*) (de) ornamento na prosperidade e (de) conforto na adversidade, se deleitam em casa e não são de impedimento fóra, se comnosco pernoitam, viajam, numa palavra,* se convêm a todos os tempos, a todas as idades, a todos os lugares, cultivemos, ó jovens, os estudos litterarios. — 7. Morra, se não digo a verdade.

Segundo typo (342) — 8. Se tu acreditasses (*credo*) isto, errarias (*considera-se possivel que tu creas*). — 9. Si tu tivesses acreditado isto, terias errado (*considera-se possivel que tenhas errado*). 10. Faltar-me-ia o tempo (*dies*), a voz, as forças, se eu quizesse agora propalar estas torpezas. — 11. Se um teu amigo, prestes a morrer, te tivesse confiado os seus bens e pedido que os entregasse á sua filha e não o tivesse dito a ninguem, tu certamente deverias entregal-os. — 12. Caso (*si*) chova, a terra molhar-se-á (*madeo*). — 13. Caso tenha chovido, a terra molhar-se-á (*Cf. prop. ant.*). — 14. Os medicos seriam os mais felizes dos homens, se pudessem curar (*medeor, dat.*) todos os males.

Terceiro typo (343) — 15. Se acreditasses isso (*mas eu considero impossivel que acredites*), errarias. — 16. Se o tivesses acreditado (*mas eu considero impossivel que tenhas acreditado*), terias errado — 17. Se chovesse (*mas não chove*), a terra molhar-se-ia

---

* A lingua latina serve-se da expressão *uno verbo*, quando realmente reduz o que se disse a uma só palavra; diversamente, serve-se das seguintes expressões: *ut paucis complectar, ut brevi comprehendam*, e na linguagem familiar *denique*.

(*madeo*). — 18. Se tivesse chovido (*mas não choveu*), a terra ter-se-ia molhado. — 19. Se eu o soubesse, logo o diria. — 20. Se toda a Sicilia pudesse falar com uma só voz, isto diria. — 21. Se tivesses vindo ao exercito, qualquer um de nós te teria visto; mas ninguem te viu; logo não vieste. — 22. Se eu não fosse Alexandre, quizera ser Diogenes. — 23. Os nossos antepassados não teriam cuidado tanto das cerimonias dos sepulcros, se não tivesse sido gravado nas suas mentes que a alma humana não perece com o corpo e que a morte não destróe tudo. — 24. Como teria podido Cicero adquirir tanta gloria na eloquencia, se elle não se tivesse applicado com todo o cuidado e diligencia desde a primeira idade? — 25. Se tivesses algum espirito de piedade, terias a Antonio como pae. — 26. Ter-me-ia quasi esquecido de que sobretudo importava escrever-te, se não me tivesse chegado a tua carta.

91. EXERCICIO

1. Si hoc dicis, erras. — 2. Si hoc dicebas, errabas. — 3. Si hoc dicas, erres. — 4. Si hoc diceres, errares. — 5. Si hoc dixisses, errasses. — 6. Me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim. — 7. Si id facerem, jure reprehenderer. — 8. Si te in villa scissem, ad te ipse venissem. — 9. Si Deus mundum creavit, conservat etiam. — 10. Necassem jam te verberibus, nisi iratus essem. — 11. Longum est, si tibi narrem. — 12. Si quis apud te gladium sana mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, officium non reddere. — 13. Dies deficiat, si velim numerare quibus bonis male evenerit, nec minus si commemorem quibus improbis optime. — 14. Vereor ne dies deficiat, si haec omnia numerare velim. — 15. Si velit, faciam. — 16. Si vellet, facerem. — 17. Nisi hoc ita est, frustra laboramus. — 18. Si nihil aliud fecistis, satis praemii habetis. — 19. Sapientia non expeteretur, si nihil

efficeret. — 20. Pater tuus si viveret, qua severitate fuit, tu profecto non viveres. — 21. Aequabilitatem vitae servare non possis, si aliorum virtutem imitans omittas tuam. — 22. Si Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus filio Hippolito non esset orbatus. — 23. Numquam Hercules ad deos abisset, nisi eam sibi viam munivisset. — 24. Si te sors Afris aut Hispanis aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus, tamen esset humanitatis tuae consulere eorum commodis et utilitati salutique servire. — 25. Oratores, qui remanserant, relicturi omnes agros erant, nisi ad eos Metellus Roma litteras misisset.

92. EXERCICIO

1. Se eu o visse, que deveria dizer-lhe? — 2. Se me ouvires, nunca errarás. — 3. Se fizeres isto, facilmente venceremos o inimigo. — 4. Se seguirmos sempre o caminho da virtude, seremos felizes. — 5. Todos os homens seriam felizes, se amassem a virtude. — 6. Se teu pae, severo como era *(Cf. n. 193, c, p. 128 ou tambem n. 338, c, p. 241)*, ainda vivesse, tu não te terias atrevido a fazer isto. — 7. Se eu disser que fiz tudo bem, seria muito presumpçoso (*nimium mihi sumo*). — 8. Não poderia viver, se não vivesse no meio dos estudos (*litterae, arum*). — 9. Antiocho, rei da Syria, se, no modo de fazer a guerra (*in gerendo bello*) contra os Romanos, tivesse querido obedecer aos conselhos de Annibal, como o fizera para declaral-a (*quam in suscipiendo instituerat)*, teria travado a batalha campal (*de summa imperii dimico*) mais perto *(propius, dat.)* do Tibre que das Thermopilas. — 10. Socrates teria podido (*imperf. do ind.*) escapar á morte, se tivesse obedecido mais aos conselhos dos amigos que á autoridade das leis, (e) se tivesse feito mais caso *(pluris facio aliquid)* da vida que da honestidade *(fides)*.

(Terceiro typo)

No fim (pag. 252) da lettra a (p. 251), para completar a regra, precisa acrescentar as seguintes linhas. — No passivo, porém, e tambem no activo, se o verbo não tiver supino, substitue-se ao futuro primeiro do infinito o imperfeito do subjunctivo precedido de *futurum esse* (não *fore*) *ut*, p. ex.: ind. *hoc si faceres te paeniteret*, dep. *existimo (existimavi) si hoc faceres, futurum esse ut te paeniteret.*

A — c, α, β (Synt. lat. p. 250)

O periodo hypothetico depende de um verbo que exige a construcção do accusativo com o infinito.

93. EXERCICIO

rumque omnium patere in amicitia licentiam; virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes, ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, conjuncta cum altera perveniret. Quae si quos inter societas aut est aut fuit aut futura est, eorum est habendus ad summum naturae bonum optimus beatissimusque comitatus. Haec est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi atque jucunditas, ut et, cum haec adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam consequi possumus.

16. — *Poucos homens sabem sacrificar a propria honra em prol da patria.* — Inventi multi sunt, qui non modo pecuniam, sed etiam vitam profundere pro patria parati essent, idem gloriae jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante; ut Callicratidas, qui, cum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris; illa pestifera, qua, cum Cleombrotus invidiam timens temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt.

17. — *Socrates condemnado á morte.* — Socrates, cum omnium sapientissimus esset sanctissimeque vixisset, ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse judicum; quin etiam, cum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, ediscere, ut ea pro se in judicio uteretur, non invitus legit et commode scriptam esse dixit: «Sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles», sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille damnatus est... et cum interrogatus esset, quam poenam commeruisse se maxime confiteretur, respondit sese meruisse ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus cotidianus in Prytaneo publice praeberetur, qui honos apud Graecos maximus habetur. Cujus responso judices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent.

18. — *Do juramento.* — Ut laudandus Regulus in conservando jure jurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad Senatum misit Hannibal, se in castra redi-

turos ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimentis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse dicit, re a Senatu non impetrata; unum ex decem, qui, paulo post quam egressus erat e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. Reditu enim in castra liberatum se esse jure jurando interpretabatur. Itaque decrevit Sanatus ut ille veterator et callidus vinctus ad Hannibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum milia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paullo et Varrone consulibus. Eos Sanatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset, ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scripsit idem, quod Senatus Populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset.

19. — *Feliz descoberta de um furto.* — Emerat Sassia, improbi mulier ingenii, de A. Rupilio Stratonem quendam, qui non ita multo post domi furtum fecit et caedem ejusmodi. Cum esset in aedibus armarium, in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri, noctu duo conservos dormientes occidit in piscinamque dejecit: ipse armarii fundum exsecuit et auri quinque pondo abstulit, uno ex servis puero non grandi conscio. Furto postridie cognito, omnis suspicio in eos servos, qui non comparebant, commovebatur. Cum exsectio illa fundi in armario animadverteretur, quaerebant homines quonam modo fieri potuisset. Quidam ex amicis Sassiae recordatus est se nuper in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam, ex omni parte dentatam et tortuosam venire serrulam, qua illud potuisset ita circumsecari videretur. Ne multa, perquiritur a coactoribus; invenitur ea serrula ad Stratonem pervenisse. Hoc initio suspicionis orto et aperte insimulato Stratone, puer ille conscius pertimuit: rem omnem dominae indicavit: homines in piscina inventi sunt: Strato in vincula conjectus est, atque etiam in taberna ejus nummi, nequaquam omnes, reperiuntur. Strato, exsecta lingua, in crucem actus est.

20. — *Comportamento no jogo e no divertimento.* — Non ita generati a natura sumus, ut ad ludum et jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque majora. Ludo autem et joco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Ipsumque genus jocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

Duplex omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaque multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui et illiberalis joci. Alter est, si tempore fit ut si remisso animo, gravissimo homine dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi.

21. — *Da immortalidade da alma.* — Maximum argumentum est naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt, et maximae quidem, quae post mortem futura sint. «Serit arbores, quae alteri saeclo prosint», ut ait ille in Synephebis, quid spectans nisi etiam postera saecula ad se pertinere? Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet bacam ipse nunquam: vir magnus leges, instituta, rem publicam non seret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptationes filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulcrorum monumenta, quid elogia significant, nisi nos futura etiam cogitare?... Quid in hac re publica tot tantosque viros ob rem publicam interfectos cogitasse arbitramur? iisdemne ut finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur? Nemo unquam sine magna spe immortalitatis se pro patria offerret ad mortem. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi: sed nescio quo modo inhaeret in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissismisque animis et exsistit maxime et apparet facillime. Quo quidem dempto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret? Loquor de principibus. Quid? poëtae nonne post mortem nobilitari volunt? Sed quid poëtas? Opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clipeo Minervae, cum inscribere non liceret? Quid? nostri philosophi nonne in iis libris ipsis, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? Quod si omnium consensus naturae vox est omnesque consentiunt esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est. Et si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sunt, cernere naturae vim maxime, verisimile est, cum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cujus is post mortem sensum sit habiturus.

DE SOMNIO SCIPIONIS

(Ex libro de republica sexto)

SCIPIO LOQVITVR

I. Cum in Africam venissem, Manlio Manilio consule, ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum, nihil mihi potius fuit, quam ut Masinissam convenirem, regem familiae nostrae justis de causis amicissimum. Ad quem ut veni, complexus me senex collacrimavit: aliquantoque post suspexit in caelum, et, «Grates (inquit) tibi ago, summe Sol, vobisque, reliqui caelites, quod antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cujus ego nomine ipso recreor: ita numquam ex animo meo discedit illius optimi atque invictissimi viri memoria». Deinde illum de suo regno, ille me de nostra republica percontatus est, multisque verbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem, regio apparatu accepti, sermonem in multam noctem produximus; cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque ejus non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via, et qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc, quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui), Africanus se ostendit illa forma, quae mihi ex imagine

ejus, quam ex ipso, erat notior. Quem ut agnovi, equidem cohorrui. Sed ille, «Ades, inquit, animo, et omitte timorem, Scipio, et, quae dicam, trade memoriae.

II. Videsne illam urbem, quae parere populo romano coacta per me, renovat pristina bella, nec potest quiescere, (ostendebat autem Carthaginem de excelso et pleno stellarum, illustri et claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles? Hanc hoc biennio consul evertes; eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes a nobis adhuc hereditarium. Cum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris, et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum consul absens, bellumque maximum conficies, Numantiam exscindes. Sed, cum eris curru Capitolium invectus, offendes rempublicam perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii, consiliique tui. Sed ejus temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam, cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque converterit, duoque hi numeri (quorum uterque plenus, alter altera de causa, habetur) circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint; in te unum, atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus: ac, ne multa, dictator rempublicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris». Hic cum exclamasset Laelius, ingemuissentque ceteri vehementius, leniter arridens Scipio, quaeso, inquit, ne me e somno excitetis; pax: audite cetera.

III. «Sed, quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rempublicam, sic habeto. Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in caelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociali, quae civitates appellantur: harum rectores, et conservatores hinc profecti huc revertuntur». Hic ego, etsi eram perterritus non

tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quaesivi tamen, viveret ne ipse, et Paulus pater, et alii, quos nos exstinctos arbitraremur. « Immo vero, inquit, ii vivunt, qui ex corporis vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt. Vestra vero, quae dicitur vita, mors est. Quin tu aspicias ad te venientem Paulum patrem ». Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi. Ille autem me amplexus atque osculans flere prohibebat. Atque ego, ut primum fletu represso loqui posse coepi, « Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quando haec est vita (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? » « Non est ita, inquit ille. Nisi Deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur. Hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis; quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circos suos, orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, justitiam cole, et pietatem; quae cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est. Ea vita via est in caelum, et in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides ». Erat autem in splendidissimo candore inter flammas circus elucens, quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti praeclara cetera, et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas nunquam ex hoc loco vidimus; et eae magnitudines omnium, quas esse nunquam suspicati sumus. Ex quibus erat illa minima, quae ultima caelo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. Jam ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, paeniteret.

IV. Quam cum magis intuerer, « Quaeso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? Nonne aspicis, quae in templa veneris? Novem tibi orbibus, vel potius globis connexa sunt omnia, quorum unus est caelestis, extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse Deus, arcens et continens ceteros: in quo infixi sunt illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni, cui subjecti sunt septem, qui versantur retro, contrario motu, atque caelum: ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant; deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicitis, deinde subtermediam fere regionem sol obtinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce illustret et compleat. Hunc, ut comites, consequuntur alter Veneris, alter Mercurii cursus; in infimoque orbe luna, radiis solis accensa, convertitur: infra autem jam nihil est, nisi mortale et caducum, praeter animos generi hominum munere Deorum datos: supra lunam sunt aeterna omnia. Nam ea, quae est media, et nona tellus, neque movetur, infima est, et in eam feruntur omnia nutu suo pondera ».

V. Quae cum intuerer stupens, ut me recepi: « Quis? hic, inquam, quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? » « Hic est, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata partium ratione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficitur; qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt: et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille caeli stelliferi cursus, cujus conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra, nona, immobilis manens, ima sede semper haeret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos: qui numerus rerum omnium fere modus

est. Quod docti homines nervis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum; sicut alii, qui praestantibus ingeniis in vitą humana divina studia coluerunt. Hoc sonitu oppletae aures hominum obsurduerunt: nec est ullus hebetior sensus in vobis; sicut ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus, sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint; sicut intueri solem nequitis adversum, ejusque radiis acies vestra sensusque vincitur». Haec ego admirans, referebam tamen oculos ad terram identidem.

VI. Tum Africanus, «Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari: quae si tibi parva, ut est, ita videtur, haec caelestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris et angustis in locis, et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas; hosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit; sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare vobis; a quibus expectare gloriam certe nullam potestis. Cernis autem terram eamdem, quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis, e quibus duos maxime inter se diversos, et caeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos, obriguisse pruina vides: medium autem illum, et maximum, solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles, quorum australis ille (in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia) nihil ad vestrum genus. Hic autem alter subjectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quam tenui vos parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est; circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen, tanto nomine, quam sit parvus, vides. Ex his ipsis cultis notisque terris, num aut tuum aut cujusquam nostrum

nomen, vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis aut obeuntis solis ultimis aut aquilonis austrive partibus, tuum nomen audiet? Quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustiis vestra gloria se dilatari velit. Ipsi autem, qui de nobis loquuntur, quamdiu loquentur?

VII. Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes uniuscujusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, et certe meliores fuerunt viri. Cum praesertim apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit. Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est unius astri, reditu metiuntur: cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eamdemque totius caeli descriptionem longis intervallis rettulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest: in quo vix dicere audeo, quam multa saecula hominum teneantur. Namque, ut olim deficere sol hominibus extinguique visus est, cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit; ita quandoque eadem parte sol, eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium, stellisque revocatis, expletum annum habeto. Hujus quidem anni nondum vigesimam partem scito esse conversam. Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis, nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum, suis te oportet illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid de te alii loquantur, ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo

autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit; et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis extinguitur».

VIII. Quae cum dixisset, «Ego vero, inquam, o Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patris et tuis, decori vestro non defui; nunc tamen, tanto praemio proposito, enitar multo vigilantius». Et ille: «Tu vero enitere; et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: nec enim is es, quem forma ista declarat: sed mens cujusque, is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est quam hunc mundum princeps ille Deus: et, ut mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet. Nam quod semper movetur, aeternum est; quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod sese movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit: quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necesse est a principio omnia oriri. Ita fit, ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest, nec mori: vel concidat omne caelum, omnisque natura consistat necesse est: nec vim ullam nanciscatur, qua primo impulsu moveatur. Cum pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moveatur; quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulso agitatur externo. Quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est natura propria animae atque vis: quae si

est una ex omnibus, quae sese moveat, neque nata est certe et aeterna est. Hanc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem hae optimae curae, de salute patriae; quibus agitatus et exercitatus animus, velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit. Idque ocyus faciet, si jam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet. Namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus oboedientium, deorum et hominum jura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur nec in hunc locum, nisi multis exagitati saeculis revertuntur» Ille discessit: ego somno solutus sum.

FINIS SOMNII SCIPIONIS

---

b) **C. Crispi Sallvstii**

BELLVM CATILINAE

I. — Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara aeternaque habetur.

Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et prius quam incipias consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget.

II. — Igitur initio reges (nam in terris nomen imperi id primum fuit) divorsi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis conpertum est in bello plurumum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile eis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. Ita imperium semper ad optumum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant navigant aedificant, virtuti omnia parent.

Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique, vitam sicuti peregrinantes transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit; eorum ego vitam mortemque juxta aestumo, quoniam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.

Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

III. — Pulcrum est bene facere rei publicae, etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace vel bello clarum fieri licet; et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum quod facta dictis exaequanda sunt; dehinc quia plerique quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit.

Sed ego adulescentulus initio sicuti plerique studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur; ac me, cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem qua ceteros fama atque invidia vexabat.

IV. — Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a re publica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium contenere, neque vero agrum colundo aut ve-

nando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere, eo magis quod mihi a spe, metu partibus rei publicae animus liber erat.

Igitur de Catilinae conjuratione quam verissume potero paucis absolvam; nam id facinus in primis ego memorabile existumo sceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. — L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae algoris vigiliae supra quam cuiquam credibile est. Animus audax subdolus varius, cujus rei lubet simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant praeterea conrupti civitatis mores, quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere, ac paucis instituta majorum domi militiaeque, quo modo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim immutata ex pulcherruma atque optuma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere.

VI. — Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce, profugi, sedibus incertis, vagabantur, cumque eis Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alii alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint: ita brevi multitudo dispersa atque vaga concordia civitas facta erat. Sed postquam res eorum, civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello temptare; pauci ex amicis auxilio esse, nam ceteri metu perculsi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam, parentisque armis tegere. Post ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiundis beneficiis amici-

tias parabant. Imperium legitumum, nomen imperi regium habebant. Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant; ei vel aetate, vel curae similitudine patres appellabantur. Post ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam dominationemque se convortit, inmutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. — Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque eis aliena virtus formidulosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit: tanta cupido gloriae incesserat. Jam primum juventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidulosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat. Eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. — Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere; verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum qui fecere virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit, quia prudentissumus quisque maxume negotiosus erat, ingenium nemo sine corpore exercebat, optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. — Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; jus bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Jurgia discordias simultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat aequitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo,

quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; in pace vero quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant, et accepta injuria ignoscere quam persequi malebant.

X. — Sed ubi labore atque justitia res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores pericula dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium divitiae, optanda alias, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo imperi, pecuniae deinde cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem probitatem ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam crudelitatem deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re sed ex commodo aestumare, magisque voltum quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex justissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

XI. — Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam honorem imperium bonus et ignavos aeque sibi exoptant; sed ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo sapiens concupivit; ea quasi venenis malis inbuta corpus animumque virilem effeminat, semper infinita insatiabilis est, neque copia neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla armis recepta republica bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani potare, signa tabulas pictas vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur ei milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos fatigant: ne illi conruptis moribus victoriae temperarent.

XII. — Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria imperium potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere aliena

cupere, pudorem pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri majores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quicquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi, contra, ignavissumi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victoires hostibus liquerant: proinde quasi injuriam facere id demum esset imperio uti.

XIII. — Nam quid ea memorem, quae nisi eis qui videre nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subvorsos montis, maria constrata esse? quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae: quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Vescendi causa terra marique omnia exquirere; dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

XIV. — In tanta tamque conrupta civitate Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. Nam quicumque impudicus manu ventre bona patria laceraverat, quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, praetera omnes undique parricidae sacrilegi convicti judiciis aut pro factis judicium timentes, ad hoc quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat, postremo omnes quos flagitium egestas conscius animus exagitabat, ei Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat, cotidiano usu atque inlecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles etiam et fluxi dolis haud difficulter capiebantur. Nam ut cujusque studium ex aetate flagrabat, aliis canes aliis equos mercari: postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. Scio fuisse non nullos, qui ita existumarent, juventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

c) Trechos de Tito Livio

1. — *Papirio Cursor.*—Papirius Cursor fult vir haud dubie dignus omni bellica laude; non animi solum vigore, sed etiam corporis viribus excellens. Praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit: victoremque cursu omnium aetatis suae fuisse ferunt; et, seu virium vi, seu exercita-

tione multa, cibi vinique eundem capacissimum, nec cum ullo asperiorem (quia ipse invicti ad laborem corporis esset) fuisse militiam pedit pariter equitique... Et vis erat in eo fuisse viro imperii ingens pariter in socios civesque. Praenestinus praetor per timorem segnius ex subsidiis suos duxerat in primam aciem. Quem cum inabulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire securim jussit: ad quam vocem exanimi stante Praenestino: «Agedum, lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus», perfusumque ultimi supplicii metu, multa dicta, dimisit.

2.—*Batalha dos elephantes contra os soldados romanos.*—Cum anceps diu pugna esset, Hannibal elephantos in primam aciem induci jussit, si quem injicere ea res tumultum ac pavorem posset. Et primo turbarunt signa ordinesque, et partim occulcatis, partim dissipatis terrore, qui circa erant, nudaverant una parte aciem: latiusque fuga manasset, ni C. Decimius Flavus tribunus militum, signo arrepto primi hastati, manipulum ejus signi se sequi jussisset. Duxit ubi maxime tumultum conglobatae beluae faciebant, pilaque in eas conjici jussit. Haesere omnia tela haud difficili ex propinquo in tanta corpora ictu, et tum conferta turba: sed ut non omnes vulnerati sunt, ita, in quorum tergis infixa stetere pila, in fugam versi etiam integros avertere. Tum jam non unus manipulus, sed pro se quisque miles, qui modo assequi agmen fugientium elephantorum poterat, pila conjicere; eo magis ruere in suos beluae; tantoque majorem stragem edere, quam inter hostes ediderant, quanto acrius pavor consternatam agit, quam insidentis magistri imperio regitur. In perturbatam transcursu beluarum aciem signa inferunt Romani pedites, et haud magno certamine dissipatos trepidantesque avertunt. Tum in fugientes equitatum immittit Marcellus, nec ante finis sequendi est factus quam in castra paventes compulsi sunt.

3.—*Os ocios de Capua.*—Hannibal in hiberna Capuam concessit. Ibi partem majorem hiemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala saepe ac diu durantem, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque, quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicae. Somnus enim et vinum et epulae, balneaque et otium consuetudine in dies blandius, ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde praeteritae eos victorae, qnam praesentes tutarentur vires: majusque id peccatum ducis apud peritos artium militarium haberetur, quam quod non ex Cannensi acie protinus ad urbem romana duxisset. Illa enim cunctatio distulisse modo victoriam videri potuit; hic error vires ademisse ad vincendum. Itaque velut si cum alio exercitu a Capua exiret, nihil usquam pristinae disciplinae tenuit. Nam ubi primum sub pellibus haberi coepti sunt, viaque et alius militaris labor excepit tironum modo corporibus animisque deficiebant, et deinde per omni aestivorom tempus magna pars sine commeatibus ab signis dilabebantur.

4. — *Annibal abandona Carthago.* — Inimici Hannibalis (Carthagine) Romanos in Hannibalem, et ipsos causam odii quaerentes, instigabant. Ita diu repugnante P. Scipione Africano, qui parum ex dignitate populi Romani esse ducebat subscribere odiis accusatorum Hannibalis et factionibus Carthaginiensium inserere publicam auctoritatem, tandem pervicerunt, ut legati Carthaginem mitterentur, qui ad senatum eorum arguerent Hannibalem cum Antiocho rege consilia belli faciendi inire. Legati tres missi... qui cum Carthaginem venissent, ex consilio inimicorum Hannibalis quaerentibus causam adventus dici jusserunt, venisse se ad controversias, quae cum Massinissa rege Numidarum Carthaginiensibus essent, dirimendas. Id creditum vulgo: unum Hannibalem se peti ab Romanis non fallebat, et ita pacem Carthaginiensibus datam esse, ut inexpiabile bellum adversus se unum maneret. Itaque cedere tempori et fortunae statuit: et praeparatis jam ante omnibus ad fugam obversatus eo di in foro avertendae suspicionis causa, primis tenebris vestitu forensi ad portam cum duobus comitibus ignaris consilii est egressus... Ita Africa Hannibal excessit, saepius patriae quam suum eventum miseratus.

§ II

Poetas

Excerptos da Eneida

DE

P. Vergilio Marão

PRIMEIRO LIVRO

Argumento

Depois da proposição (1-7) e a invocação da Musa (8-11), vêm espostas as causas da ira de Juno contra Eneas (12-33). Eneas continuando a sua viagem, zarpára da Sicilia em direcção á Italia, quando Juno suscitou-lhe, por meio de Eolo (34-80), uma furiosa tempestade, que lançou sua armada nas costas da Africa, dispersando-a e afundando uma nau (81-123). Acalmada por Neptuno a tempestade (124-156), Eneas com sete naus retira-se a uma enseada africana, e preparando uma refeição, conforta os companheiros (157-222). Juppiter, entretanto, do céo contemplava o que se passava na Africa e Venus approxima-se delle e lhe pergunta o que terá acontecido a seu Eneas (223 253); Juppiter lhe responde garantindo-lhe que os fados de Eneas terão o seu cumprimento (254-296) e manda Mercurio a predispor favoravelmente o animo de Dido para com os Troianos (297-304). Na manhã seguinte, sahindo Eneas com o fiel Achates para explorar o paiz, encontra no bosque Venus em trajes de caça (305-334), que lhe dá as necessarias informações sobre Carthago e Dido, exhorta-o tambem a pedir-lhe hospitalidade (335-401). Envolve-o em uma nuvem para que possa caminhar com mais segurança (402-417) Põe-se a caminho Eneas com Achates, e chegando á cidade, cujas bellezas o encantam, queda-se estatico a observar os episodios da guerra troiana gravados no templo e se reanima ainda mais (418-493). Eis que para o templo se dirige Dido, seguida de outros Troianos, julgados mortos, os quaes vinham pedir-lhe protecção, porque aquelles habitantes queriam incendiar-lhes as naus: por elles fala Ilioneu (494-560). A rainha offerece hospitalidade (561-578); dissipa-se então a nuvem e apparece Eneas, que abraçando os seus companheiros, junta tambem as suas petições (579-612). A rainha mostra-se muito benevola para com Eneas; convida-o a um jantar e manda gratos presentes aos que ficaram nas naus (613-642), presentes que são por Eneas generosamente retribuidos (643-656). Venus, com o fim de excitar o amor de Dido para com Eneas, colloca Cupido em logar de Ascanio, pois que assim Eneas não teria contra si as perfidias carthaginezas. Dido acariciando o formoso menino sente o despertar de novos affectos (657-722). Terminada a refeição, ella mesma dá começo aos brindes e apoz os cantos de Iopas convida Eneas a lhe narrar a tomada de Troia e as peripecias de suas peregrinações (723-756).

Nota — Seguimos o texto das optimas e celebres edições de Giovanni Chiantore, successor de Hermann Loescher, Torino (Italia), 1918.

Razão do poema — Juno e Eolo — A tempestade

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab [oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
litora, multum ille et terris iactatus et alto
vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,
multa quoque et bello passus, dum conderet [urbem
inferretque deos Latio, genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
quidve dolens regina deum tot volvere casus
insignem pietate virum, tot adire labores
impulerit. tantaene animis caelestibus irae?
Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe
ostia, dives opum studiisque asperrima belli:
quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
posthabita coluisse Samo: hic illius arma,
hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,
si qua fata sinant iam tum tenditque fovetque.
progeniem sed enim Troiano a sanguine duci
audierat, Tyrias olim quae verteret arces;
hinc populum late regem belloque superbum
venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.
id metuens veterisque memor Saturnia belli,
prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis:
necdum etiam causae irarum saevique dolores
exciderant animo; manet alta mente repostum
iudicium Paridis spretaeque iniuria formae
et genus invisum et rapti Ganymedis honores:
his accensa super iactatos aequore toto
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,

arcebat longe Latio, multosque per annos
errabant acti fatis maria omnia circum,
tantae molis erat Romanam condere gentem.
Vix e conspectu Siculae telluris in altum
vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant,
cum Iuno aeternum servans sub pectore volnus
haec secum: 'mene incepto desistere victam
nec posse Italia Teucrorum avertere regem!
quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivom atque ipsos potuit submergere ponto
unius ob noxam et furias Aiacis Oilei?
ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem
disiecitque rates evertitque aequora ventis,
illum exspirantem transfixo pectore flammas
turbine corripuit scopuloque infixit acuto;
ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque
et soror et coniunx, una cum gente tot annos
bella gero et quisquam numen Iunonis adorat
praeterea aut supplex aris imponet honorem?'
Talia flammato secum dea corde volutans
nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
Aeoliam venit hic vasto rex Aeolus antro
luctantís ventos tempestatesque sonoras
imperio premit ac vinclis et carcere frenat.
illi indignantes magno cum murmure montis
circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
sceptra tenens mollitque animos et temperat iras.
ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
quippe ferant rapidi secum verrantque per auras:
sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
hoc metuens molemque et montes insuper altos
imposuit regemque dedit, qui foedere certo
et premere et laxas sciret dare iussus habenas.
ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:
'Aeole (namque tibi divom pater atque homi-
[num rex
et mulcere dedit fluctus et tollere vento)
gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,
Ilium in Italiam portans victosque penatís:
incute vim ventis submersasque obrue puppís,

aut age diversos et disice corpora ponto.
sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae,
quarum quae forma pulcherrima Deïopea,
conubio iungam stabili propriamque dicabo,
omnis ut tecum meritis pro talibus annos
exigat et pulchra faciat te prole parentem.'
Aeolus haec contra: 'tuus, o regina, quid optes,
explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque
concilias, tu das epulis accumbere divom
nimborumque facis tempestatumque potentem.'
Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
impulit in latus: ac venti velut agmine facto,
qua data porta, ruunt et terras turbine perflant.
incubuere mari totumque a sedibus imis
una eurusque notusque ruunt creberque procellis
africus et vastos volvunt ad litora fluctus.
insequitur clamorque virum stridorque rudentum.
eripiunt subito nubes caelumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
intonuere poli et crebris micat ignibus aether
praesentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas
talia voce refert: 'o terque quaterque beati,
quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis
Tydide! mene Iliacis occumbere campis
non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,
saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
scuta virum galeasque et fortia corpora volvit!'
Talia iactanti stridens aquilone procella
velum adversa ferit fluctusque ad sidera tollit.
franguntur remi; tum prora avertit et undis
dat latus; insequitur cumulo praeruptus aquae mons.

hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit, furit aestus harenis.
trís notus abreptas in saxa latentia torquet,
(saxa, vocant Itali mediis quae in fluctibus Aras,
dorsum immane mari summo), trís eurus ab alto
in brevia et syrtís urguet (miserabile visu)
inliditque vadis atque aggere cingit harenae.
unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
in puppim ferit: excutitur pronusque magister
volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
torquet agens circum et rapidus vorat aequore
[vertex.
